VIRO
NOBILISSIMO EXCELLENTISSIMO ET CLARISSIMO
DOMINO
PETRO IAENICHIO,
INCLYTI GYMNASII THORUNENSIS RECTORI FAMIGERATISSIMO, STVDIORVM SVORVM HODEGO FIDELISSIMO,
SOLENNIA PETRINA
d. 29. IVN. AN. M. DCC. XX.
FELICITER CELEBRANTI,
GYMNASII CIVES ET AVDITORES
ALIQVI MAXIME GRATI,
VNA CVM BANDVRIO GALLO,
MERITO APPLAVDERE
VOLEBANT.

THORVNII,
Impressit Ioan. Nicolai, NOBIL. SENAT. & GYMNASII Typogr.

PRoh! quam ſæcula vexat opprimitque
Auri ſacra fames, cupido habendi
Regales animos tenet revinctos,
Et Pluti ſimul alligat tenebris!
Non ridere Venus ſatis putatur,
Non ſummum eſſe bonum beata virtus,
Non doctrina ſatis placere vulgo,
Ni cenſu gravis & domo refulgens.
Hinc vel caſtra ſequi feros alumnos
Mavortis videas; vel & per igneis
Et nigros ſcopulos abire ad Indos
Natos Maiugenae & ſecare pontum:
Ut, quas divitias Arabs recondit,
Quas Summatra, Potoſus, atque Gangis
Servant flumina lucidasque gemmas,
Promant horrea recreentque ocellos.
Quid mirum Aonias iacere Muſas,
Et vatem pariter iacere Homerum,
Quod pauper venit, indigus metalli,
Quod ſe oſtendere ſaeculique pompam
Ignorat ſimulare? Sed valentes
Gazis Attalicis ſtupent Qvirites:
Illos tergemino vehunt honore,
Illos & ſuperum locant in orbe.
Qualescunque tamen ſtupor malignas
Menteis attonet, aes nitens & aurum
Deridet ſapiens, licet fruiſci
Auro ſcit ſapiens, modumque habendi
Quærendique tenet, Stoa monente.
Non hic iugera mille, non arenas
Metitur Libycas; nec ille pallet
Curis ſemper edacibus, nec auro
Noctes

Noctes pervigiles trahit; quin omne
Vitae ſpatium piis Camoenis
Diſpenſat, variisque ſe libellis
Oblectat, reputans ſibi perire
Tempus, quod ſtudiis foret negatum.
Hic aurum reperit perenne: hic illi
Effulgent adamantes & pyropi:
Hic Gangetica concha, clariorque
Surgit gloria, & inſerit coruſcis
Nomen ſideribus, celebre nomen.
Talem TE merito canunt Camoenae,
Talem docta ſimul canit Thorona,
Noſtri delicium decusque Pindi.
Spernis pallidulum potenter aurum,
Per naufragia quod petit ſitîtque
Orbis, non ſatiabilis vel ipſo
Pactolo aurifero Tagoque Ibero.
Aurum ſed melius perenniusque
Quæris ſedulus in libris ſophorum,
Donaſque Aonidum repertum alumnis.
Non nummis animam alligas vel aſſi:
Sed TE Fulvius, Occo, Golziusque,
Vaillant, Oyſelius, Spanhemiusque,
Tum Gronovius afficit, Patinus,
Budæus quoque ponderator aſſis,
Et qui ſaecula cunque perveruſta
Nummis eruere aſſolent docentque.
Quid nunc impedit addere hoc ad aurum
BandurI aureolum nimis libellum?
Vt doctum TIBI confluat metallum,
Et mens Gymnaſii patere noſtri
Paruo munere gratior poteſſit.

Magnos

Magnos magna decent: tamen fatemur
Vires exiguas minusque firmas
Compensare TIBI dies molestos,
Nocteisque Herculeo labore plenas.
Ergo fronte hilari capesse munus,
Quod Musæ ex animo ferunt dicantque
Illustri ingenio. Monente nullo,
IAENICHJ celebris, Tuos alumnos
Et novisse animi Tui fideles
Cultores potes, ac simul procaces
Si quos discipulos fovet Lyceum.
Te nos incolumem diu precamur:
*T*e nobis vegetum ac TVIS decorum
Conservent superi, perenniterque
Florentem. Triplici vel aere tectus
TV contra invidiam improbosque mores
Firmus nitere, sterne, & usque vince.
*A*d postes Tibi gloria hic recumbat:
*E*ruditio colliget corollam:
*T*um TE mens pia svavitasque morum
*A*ttollat super astra & inserat *T*rioni.
*P*ostremo, quoniam TIBI PETRINV*M*
*D*ia sorte datum est celebre nomen:
Claves omine laetiore *PETRVS*
*I*ungat facibus incluti Lycei.
Felices erimus, Petrina clavis
Qvum Phoebi cytharam diu sonabit.